uxori in actu conjugali, & diſpenſatione domus, ad id, quod viri eſt, ita uxor viro ad id quod uxoris eſt. Unde *ſunt æquales in reddendo, & petendo debitum.*

REGULA XII.

Conjugale debitum petenti negare abſque juſta cauſſa, letale peccatum eſt.

Violatur enim juſtitia in re gravi; quia is, qui negat, ſubtrahendo corporis uſum, cujus poteſtatem in alterum per Matrimonium tranſtulit, jure illum ſuo defraudat, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem*: adeoque peccatum injuſtitiæ committit, & quidem gravius, quam ſi rem alienam invito domino detineret. Præterea, ex debiti conjugalis negatione conjux alter in periculum incontinentiæ conjicitur, aliaque inde oriuntur mala, diſſenſiones, odia, rixæ, divortia, quamvis aliæ ſæpe cauſſæ propter verecundiam prætexantur.

Id confirmat Chriſti Sententia. Matth. 5. *Qui dimittit uxorem ſuam, excepta cauſſa fornicationis, facit eam mœchari.* Qui autem debitum negat, ſimilis eſt dimittenti, & proinde uxorem ſuam pariter mæchari facit, ideſt, occaſionem adulterii illi præbet, alteriuſve immunditiæ. Hinc *S. Aug.* Lib. *De Bono Conjugali*, cap. 6. *Ad hoc* (inquit) *uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier: ut & quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis, & incontinentiæ cauſſa expetit, vel ille de Matrimonio, vel illa de Marito, non ſibi alterutrum negent: ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana, propter incontinentiam, vel amborum, vel cujuſquam eorum.*

Verumtamen ratione circumſtantiarum fieri poteſt, ut ſæpe fit, ut negatio debiti venialis tantum culpa ſit, cum ſcilicet probabile eſt non eſſe periculum incontinentiæ, vel negatio nimium diuturna, aut proterva non eſt; aut contra, ſi petitio multum intempeſtiva ſit, vel immoderata; aut denique ſi conjux alter non adeo anxie, & importune petat, neque ex negatione mœrorem, iramve concipiat.

Quoniam vero dixi, negationem debiti conjugalis abſque juſta cauſſa, letale peccatum eſſe, explicandæ ſunt ſequentibus Regulis legitimæ negandi cauſſæ.

REGULA XIII.

Adultero conjugi debitum reddere conjux alter non tenetur.

De uſu Matrimonii.

Hanc exceptionem colligere licet ex verbis Chriſti, Matth. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Jure quippe exigendi debitum excidit, & quoad hoc conjux eſſe deſit, qui fidem conjugalem non ſervavit.

REGULA XIV.

Reddere debitum conjux non tenetur cum detrimento ſuæ valetudinis.

Caritatis enim ratio poſtulat, ut ſuæ prius incolumitati quiſque conſulat, quam alterius corporali bono, & filiorum propagationi. Hinc *S. Th.* in 4. *Sent.* d. 32. q. 1. a. 1. ait: *Vir tenetur uxori reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis ſpectant; ſalva tamen prius perſonæ incolumitate.*

Et in Reſponſione ad ſecundum: Uxor (inquit) *non habet poteſtatem in corpus viri, niſi ſalva perſona ipſius: Unde ſi ultra exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere.*

REGULA XV.

Conjux debitum reddere non tenetur quolibet loco.

Verecundia enim, & honeſtas prohibet, ne loco publico, aut quaſi publico reddatur: Religio, ne in loco ſacro. Hinc *Clemens Alexandrinus*, Lib. 2. *Stromatum*, cap. 10. *ceterum* (inquit) *quibus uxores ducere conceſſum eſt, iis Pædagogo opus fuerit, ut non interdiu myſtica natura celebrentur orgia, nec ex Eccleſia, v. gr. aut ex foro mane rediens galli more coeat, quando orationis, & lectionis, & efficacium, quæ interdiu fiunt, operum tempus eſt. Non ſemper autem concedit tempus natura, ut peragatur congreſſus Matrimonii: eſt enim eo deſiderabilior conjunctio, quo diuturnior; neque vero noctu, tamquam in tenebris, immodeſte ſeſe, ac intemperanter gerere oportet; ſed verecundia, tamquam lux rationis, in animo eſt includenda... Si enim honeſtatem exercere oportet, multo magis tuæ uxoris honeſtas eſt oſtendenda, inhoneſtas vitando conjunctiones: & quod caſte cum proximis verſeris, fide dignum e domo adſit teſtimonium. Non enim poteſt aliquid honeſtum ab ea exiſtimari, apud quam honeſtas in acribus illis non probatur certo quaſi teſtimonio voluptatibus.*

Idem confirmat *S. Th. in* 4. *Sentent.* diſt. 32. qu. 1. a. 5. qu. 3. *Cum*, inquit, *mulier habeat poteſtatem in corpore viri, quantum ad actum generationis ſpectat, & e converſa, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore, & quacumque hora, ſalva debita honeſtate, quæ in talibus exigitur; quia non oportet, quod ſtatim in pubblico debitum reddat.*

REGULA XVI.

Verecundiæ mulieris in redditione debiti vir conſulere debet.

Hanc Regulam explicat *S. Th.* loco mox indicato, art. 2. qu. 1. Petitur dupliciter, inquit, *Uno modo expreſſe, ut quando verbis invicem petunt: alio modo eſt petitio debiti interpretata, quando ſcilicet vir percipit aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam tacet: & etiamſi non expreſſe verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando expreſſa ſigna in uxore apparent voluntatis debitum petendi.*

REGULA XVII.

Chriſtianas mulieres adhortari opere pretium eſt, ut filios ſuos propriis lactent uberibus, non alienis nutricibus tradant.

De uſu Matrimonii.

Id enim poſtulare videtur natura, quæ ipſarum ubera lacte auget, ut quos pepererunt, ſuo ipſæ lacte nutriant. Quæ huic officio deſunt, ex parte tantum ſunt matres, ut ait *Favorinus* Philoſophus apud *Aulum Gellium*, Lib. 12. *noctium Atticarum*, c. 1. Hinc S. Paulus: *Facti ſumus*, inquit, *parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios, ſuos.* Non alienos filios, inquit, ſed ſuos: Filios certe non ita amant, nec eas viciſſim filii, quæ ipſos non lactarunt. Hinc Sara, Anna, Mater Machabæorum, Maria, ſanctæ aliæ fœminæ filios ſuos propriis uberibus nutriverunt, nec facile in Scripturis ſacris reperias, quod aliquæ filios ſuos alienis nutricibus tradiderint. Hinc *Ambroſius*, Lib. 1. *De Abraham* c. 7. explicans hæc verba Gen. 21. *Quis annuntiabit Abrahæ quoniam lactet infantem Sara?* ait: *Moralis locus. Provocantur fœminæ meminiſſe dignitatis ſuæ, & lactare filios ſuos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios ſolent, quos ipſæ matres lactaverint uberibus ſuis.*

Hinc *S. Gregorius*, Interrogationibus *S. Auguſtini* Anglorum Epiſcopi reſpondens, ait: *Prava in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut Mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex ſola cauſſa incontinentiæ videtur inventum: qui dum continere nolunt, deſpiciant lactare quos gignunt.*

REGULA XVIII.

Religioſe ſervanda conſuetudo eſt, quam Fidelium pietas introduxit, ut Mulieres poſt partum Eccleſiæ ſe ſiſtant, ſollemnibus precibus Deo commendandæ, & gratias acturæ.

Matrum Officium in in filiis nutriendis.

De hoc Ritu *Innoc. III.* cap. *Volens*, Ext. *De Purificatione poſt partum*; Armachano Archiepiſcopo ſic reſpondet: *Licet ſecundum Legem Moſaicam certi dies determinati fuiſſent, quibus mulieres poſt partum a Templi ceſſarent ingreſſu: quia tamen Lex per Moyſen data eſt, Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, Quod poſtquam umbra Legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, ſi mulier poſt prolem emiſſam acturæ gratias Eccleſiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur: nec eſt Eccleſiarum eis aditus denegandus, ne pœna illis converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abſtinere, devotionem earum non credimus improbandam.*

Purificatio poſt partum.

In Veteri Lege Mulier a Templi, ſive Tabernaculi aditu abſtinere debebat triginta diebus, ſi maſculum peperiſſet, & ſexaginta ſex ſi fœminam; ut legitur *Levitici* cap. 12. ſed lex illa cæremonialis abrogata eſt cum ceteris Moſaicæ Legis Ritibus: nullamque legem tulit Eccleſia, qua mulier poſt partum ab ingreſſu Templi abſtinere debeat. Lex tamen naturæ jubet, ut valetudinis ſuæ curam gerat, nec citius domo egrediatur, ne periculum vitæ, aut certe gravis infirmitatis incurrat, Pietas vero poſtulat, ut ſecundum Eccleſiæ Morem, ut primum prodit in publicum; ad Templum ſe conferat, ſeque ſiſtat Sacerdoti, Deo gratias actura ſui partus auctori, & ſanctificatori, Candelam, ſive cereum accenſum manu geſtant, cum illis benedicit Sacerdos, ut hoc Ritu conteſtentur, ſe prolem ſuſceptam in Fide Chriſtiana, & Catholica, Virtutumque Chriſtianarum operibus inſtituere, eique exemplo prælucere velle. Ritus hic Purificatio dicitur, quia Eccleſiæ precibus, & humilitate, qua ſe Templi aditu indignas cenſent, a culpis expiantur, quas in uſu Matrimonii forte commiſerunt. Hæc autem Benedictio meretricibus, concubinis, ſive aliis, quæ illicito concubitu pepererunt, merito negatur.

Ritus hic Purificationis poſt partum in Eccleſia Parochiali, & a proprio mulierum Parocho, vel Presbytero ab eo delegato fieri debet, ut decretum eſt a Sacra Congregatione DD. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 18. Nov. 1662. in cauſſi Parochorum, & Regularium Antuerpenſium.

CAPUT VI.

De Divortio.

Quid ſit Divortium.

Divortium eſt legitima conjugum ſeparatio, quæ fit; vinculo conjugii ſalvo manente.

Triplex conjugum ſeparatio.

Triplex eſt conjugum ſeparatio: prima quoad vinculum, quæ fit ſollemni Profeſſione alterutrius in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata. Altera quoad thorum, ſeu copulam dumtaxat. Tertia quoad thorum ſimul, & habitationem.

Eccleſiæ judicio Divortium inter conjuges fieri poteſt.

Fide porro certum eſt, Eccleſiæ Judicio ob multas cauſſas divortium inter conjuges fieri poſſe, quamvis conſummatum ſit Matrimonium, ut conſtat ex Reſcriptis *Alexandri III.* & *Innocentii III.* Ext. *De Divortiis*, & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. Can. 8. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit; Anathema ſit.* Quibus autem de cauſſis legitima conjugum ſeparatio fieri poſſit, ſubjectis Regulis explicabimus.

REGULA PRIMA.

Alterius conjugum Adulterium eſt legitima Divortii cauſſa.

De Divortio.

ID conſtat ex verbis Chriſti Matth. 5. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari.*

Adulterium cauſſa legitima Divortii.

Id confirmat *S. Auguſtin.* Libris duobus *De Conjugiis adulterinis*, qui quaſi principium certiſſimum ſupponunt, Adulterium legitimam eſſe divortii cauſſam. Atque inter alia hæc habet Lib. 2. c. 5. *Licite itaque dimittitur conjux ob cauſſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimiſſam duxerit etiam ob cauſſam fornicationis. Sicut enim manente in ſe Sacramento Regenerationis, excommunicatur cujuſquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiamſi numquam reconcilietur Deo: Ita manente in ſe vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob cauſſam fornicationis: nec carebit illo vinculo, etiamſi numquam reconcilietur viro.*

Idem confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 35. q. 1. ar. 1. *Dominus*, inquit, *dimittere uxorem conceſſit propter fornicationem, in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui ſervavit: ut non ſit adſtrictus ad reddendum debitum ei, qui non ſervavit fidem.* Requiritur autem ad divortium faciendum adulterii certitudo ſaltem moralis, tantaque quanta opus eſſet ad condemnandum in criminali foro: qualis eſt: ſi conjux ſe ream fateatur; aut ſi nuda cum nudo, ſola cum ſolo in uno lecto accubantes deprehendantur, aut multis ſecretis locis, & latebris ad fornicationem commodis, & horis electis, ut colligitur ex cap. *Litteris*, Ext. *De Præſumptionibus.*

REGULA II.

Uxorem adulteram viro dimittere non licet, ſi reus ipſe ſit adulterii.

Hac enim in cauſſa compenſationi locus eſt. Id conſtat ex cap. *Significaſti*, Ext. *De Divortiis*, quod eſt *Alexandri III.* Reſponſum. *Si notorium eſt*, inquit, *mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet: niſi conſtaret ipſum cum alia adulterium commiſiſſe.* Idemque confirmat cap. *Intelleximus*, & cap. *Tua Fraternitas*, quæ Reſponſa ſunt *Innocentii III.*

Idem docet *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 35. q. 1. a. 1. in Reſponſione ad 2. *Divortium* inquit, *ex cauſſa fornicationis fit non accuſante alium: & quia nullus poteſt accuſare, qui in ſimili crimine exiſtit, quando uterque fornicatur, divortium celebrari non poteſt*: Hinc *S. Aug.* Lib. *De Sermone Domini in Monte*, c. 28. ex quo ſumptus eſt Can. *Nihil* Cauſſa 32. q. 6. ait: *Nihil iniquius, quam fornicationis cauſſa dimittere uxorem, ſi & ipſe convincitur fornicari. Occurrit enim illud.* In quo enim alterum judicas, temetipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. *Quapropter quiſquis fornicationis cauſſa vult abjicere uxorem, prior debet eſſe a fornicatione purgatus. Quod ſimiliter etiam de fœmina dixerim.*

Rom. 2.

REGULA III.

Propter adulterium vir dimittere non poteſt uxorem. quam proſtituit.

De Divortio.

Hanc Regulam tradit, & ſuperiores confirmat *Innocentius III.* cap. *Diſcretionem*, Ext. *De Divortiis*, cujus hæc ſunt verba. *Vir prior redire cogatur ad ipſam, & maritali eam affectione tractare: cum adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam. Nam etſi ſecundum Evangelicam Veritatem, numquam niſi propter fornicationis cauſſam, aut vir uxorem, aut uxor poſſit dimittere virum, non tamen ſemper propter cauſſam eamdem, vel uxor virum, vel vir dimittere poteſt uxorem, cum poſſit exceptione, vel replicatione legitima impediri.*

Idemque confirmat cap. *Intelleximus*. Ext. *De Adulteriis*, Turonenſi Archiepiſcopo reſpondens. *Mandamus* (inquit) *quatenus, (niſi tibi conſtiterit, vel per evidentiam rei vel per confeſſionem legitimam mulieris, quod adulterata ſponte fuiſſet) adulterii etiam, quod vir dicitur commiſiſſe, probatione ceſſante, ipſum recipere compellas eamdem. Quod ſi prædicto modo de mulieris fornicatione conſtiterit, (niſi teſtes, per quos viri adulterium eſt probatum, fuerint reprobati) cum Matrimonii Jus in utroque læſum conſiſtat, & paria delicta mutua compenſatione tollantur: nihilominus eum cogas, ut eam recipiat, & maritali affectione pertractet, alioquin mulieri ſilentium imponere non poſtponas.*

Et cap. *Tua fraternitas*, ſub eodem Titulo, cujus hæc ſunt verba: *Tua fraternitas requiſivit, utrum aliquo denegante uxori ſuæ in adulterio deprehenſæ debitum conjugale, ſi poſtmodum ipſe cum alia perpetret adulterium, manifeſte cogi debeat, ut eamdem maritali affectione pertractet: Super quo tibi reſpondemus, quod cum paria crimina compenſatione mutua deleantur, vir hujuſmodi fornicationis obtentu, ſuæ uxoris nequit conſortium declinare.*

REGULA IV.

Vir uxorem ſuam dimittere non poteſt, quæ ipſum mortuum probabiliter credens propter longam ejus abſentiam, nupſit alteri, & de ejus vita certior facta, relictis adulterinis complexibus ad eum reverti voluit.

Hæc Regula colligitur ex can. *Cum per bellicam*, qui eſt *S. Leonis*, & can. *Cum in Captivitate*, qui eſt *Innocentii I.* cauſſa 34. qu. 1. necnon ex cap. *Dominus*, Extr. *De Secundis Nuptiis*, quod eſt *Lucii III.* Reſponſum.

REGULA V.

Uxorem, quæ fraudulenter cognita eſt ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante, viro dimittere non licet.

Hæc Regula colligitur ex can. *In lectum*, cauſſa 34. q. 1. qui Triburienſi Concilio tribuitur.

REGULA VI.

Uxorem dimittere vir non poteſt, ſi vi oppreſſa fuerit.

Illa enim a crimine immunis eſt, *Cum omne peccatum ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptione carnis mens in vita non pollui*; ut dicitur can. *Illa autem*, qui eſt *S. Leonis*, Cauſſa 32. qu. 5: Atque in illa hypotheſi dici poteſt: **Duo erunt, & unus adulterium commiſit.* Idem confirmant *Gratianus* in Appendice Canonis *Puto*, eadem Cauſſa, & quæſt. & *S. Thomas*, in 4. Sentent. diſt. 25. qu. 1.

De Divortio.

* Can. Propoſitio Cauſſa 32. qu. 2.

REGULA VII.

Uxorem adulteram viro dimittere non licet, ſi eam poſt adulterium perpetratum receperit, carnaliterque cognoverit,

Hanc Regulam colligit *S. Thomas* ex can. *De Benedicto*, cauſſa 32. quæſt. 1. qui *Pelagio* Papæ tribuitur.

REGULA VIII.

Vir uxorem adulteram ex livore, & ultionis libidine dimittens, procul dubio peccat.

Ita docet *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 35. qu. 1. art. 1. ad primum. *Vir* (inquit) *ſi dimittat uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat: ſi autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandam prolis incertitudinem, non peccat.*

REGULA IX.

Vir uxorem adulteram dimittere tenetur, ſi Pœnitentiam non egerit.

Hæc Regula nititur Canone *Sicut*, Cauſſa 32. qu. 1. *Sicut* (inquit) *crudelis eſt, & iniquus, qui caſtam dimittit: ſic fatuus eſt, & injuſtus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus eſt, qui crimen celat uxoris.* Et Canone, *Si quis*, biennii Pœnitentia indicitur viro, qui uxorem adulteram, Pœnitentia non expiatam, ac emendatam in thalamum receperit: eademque pœna infligitur uxori, quæ virum adulterum, non pœnitentem admiſerit. Canone, *Si quis*, ex Pœnitentiali *Theodori ſumpto*, ad triennium prorogatur Pœnitentia illius, qui uxorem adulteram dimittere noluerit. Et Can. *Dixit Dominus* qui ex *Sancti Hieronymi* verbis in cap. 19. *Sancti Matthæi* contextus eſt: *Sola fornicatio eſt, quæ uxoris vincit affectum: immo cum illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura:* Qui adulteram tenet, ſtultus, & impius eſt. *Ubicumque eſt igitur fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio, libere uxor dimittitur.* Prov. 17.

Eadem Regula confirmatur ex cap. *Si vir*, Ext. *De Adul-*

teriis, quod Arelatenſi Concilio tribuitur, Aurelianenſi vero in prima Collectione antiqua ab *Antonio Aug.* edita: *Si vir* (inquit) *ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit Pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa; reus erit, & ejus peccati particeps.* Idem docet in 4. Sentent. diſt. 35. qu. 1. art. ad Sextum: *Uxor* (inquit) *non tantum peccat in virum: ſed etiam in ſe ipſam, & in Deum; & ideo vir non totaliter poteſt pœnam dimittere, niſi emendatio ſequatur.*

R E G U L A X.

Vir uxorem adulteram, Pœnitentem, & emendatam recipere poteſt, Chriſtianæque pietati conveniens eſt, ut recipiat; ſed non tenetur.

De Divortio. Hæc Regula nititur cap. *Si vir*, mox citato: *Quod ſi mulier dimiſſa egerit Pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe recipere peccatricem.* Debet (inquam) debito convenientiæ, & honeſtatis, non debito conſcientiæ, & neceſſitatis, ut explicat Gloſſa, quia etiam poſt Pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulterio, ut colligitur ex Can. *Admonere*, Cauſſa 33. q. 2. Itaque ſi conjux innocens hanc injuriam ſponte non condonet, liber in perpetuum a conjugali debito manet, adeoque re juridice probata, non modo dimittere poteſt conſortem invitum; ſed Religioſam vitam (ſi lubet) profiteri, vel Sacros Ordines ſuſcipere, ut conſtat ex Can. *Agathoſa*, Cauſſa 27. q. 2. ex cap. *Conſtitutus*, & c. *Veniens*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*. Sic *S. Paulus* cognomento *Simplex* uxorem in adulterio deprehenſam dimiſit, Vitamque Monaſticam ſub *S. Antonii* diſciplina profeſſus eſt, ut refertur *Hiſtoria Lauſiaca* cap. 28.

Hanc Regulam confirmat *S. Thom.* in 4. Sentent. diſt. 35. qu. 1. art. 2. *Dimiſſio* (inquit) *uxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum uxoris crimen per talem Pœnam: pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præceſſit: & ideo ſi mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere.*

Quam ſit autem conveniens Chriſtiano reconciliatio cum conjuge poſt adulterium pœnitente, docet *S. Aug.* Lib. 2. *De Conjugiis Adulterinis*, c. 6. *Quod autem tibi durum videtur, ut poſt adulterium reconcilietur conjugi conjux, ſi fides adſit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel Baptiſmate ablutos, vel Pœnitentia credimus eſſe ſanatos? Hæc crimina in vetere Dei Lege nullis ſacrificiis mundabantur, quæ novi Teſtamenti Sanguine ſine dubitatione mundantur: & ideo tunc omni modo prohibitum eſt ab alio contaminatam viro recipere uxorem .... Nunc autem poſtea quam Chriſtus ait adulteræ*, Nec ego te (Joann. 8.) damnabo, vade, deinceps noli peccare, *quis non intelligat debere ignoſcere maritum, quod videt ignoviſſe Dominum amborum, nec jam ſe debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimine divina credit miſerationem deletum.*

Et cap. 9. *Si communis conditio, commune malum, commune periculum, commune vulnus, communis ſalus fideliter, & humiliter cogitetur, non erit turpis, neque difficilis, etiam poſt perpetrata, atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves Regni cœlorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum: non ut poſt viri divortium adultera revocetur, ſed ut poſt Chriſti conſortium adultera non vocetur. Verum ut id fiat, nemo compellit, quia forte Lex aliqua hujus ſæculi vetat ſecundum terrenæ civitatis modum, ubi cogitata non eſt abolitio criminum per Sanguinem ſanctum. Suſcipiatur ergo continentia, quam nulla Lex prohibet: in alia non eatur adulteria. Et quid ad nos, ſi nec ſaltem divina miſeratione mundata marito reconcilietur adultera, dum tamen non reconciliatis adulteris, non alia fiant quaſi connubia, quæ convincuntur eſſe adulteria?* Hujuſmodi autem reconciliatio cum adultera cunjuge proprio judicio fieri poteſt, quamvis Divortii Sententia ab Eccleſia lata fuerit: *Cum quilibet ad renuntiandum juri ſuo liberam habeat facultatem*; ut dicitur c. *Ex conſcientia*, Ext. *De crimine falſi*.

R E G U L A XI.

Vir proprio judicio uxorem adulteram dimittere non poteſt: ſed Eccleſiaſtici Judicis Sententia Divortium decerni debet.

De Divortio. Nullus enim in eadem cauſſa actor eſt, & Judex. Vir autem in cauſſa adulterii adverſus uxorem actor eſt, ut conſtat ex cap. *Maritis*, Ext. *De Adulteriis*, quod Concilio Pariſienſi tribuitur: Proprio itaque judicio illam dimittere non poteſt, ſed expectari debet Judicis Eccleſiaſtici Sententia, ut ſancitum eſt can. *Sæculares*, Cauſſa 33. q. 1. qui Carthaginenſi Concilio a *Gratiano* tribuitur, cum ſit Agathenſis Canon 25. *Sæculares* (inquit) *qui conjugale conſortium nulla graviori culpa dimittunt, vel etiam dimiſerunt; & nullas cauſſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea ſua Matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præſumant; ſi antequam apud Epiſcopos Comprovinciales diſſidii cauſſa dixerint, & priuſquam in Judicio damnentur, uxores ſuas abjecerint, a Communione Sanctæ Eccleſiæ, & populi catu, pro eo, quod fidem, & conjugia maculant, excludantur.*

Et Canone *Multorum*, Cauſſa 35. q. 6. *Alex. II.* Guillielmo de Monaſteriolo reſcribit: *Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem, & adhærere alteri, prætexentem conſanguinitatis occaſionem. Unde Apoſtolica Auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes, uxorem nullatenus præſumas dimittere, donec Epiſcoporum religioſorum Concilium cauſſam iſtam examinaverit.*

Et cap. *Porro*, Ext. *De Divortiis*, Alexander III. Ambianenſi Epiſcopo ſic reſpondet: *De Comite Pontivi, qui B. uxorem ſua abſque Judicio Eccleſiæ dimiſit, quia eam cognatam fuiſſe uxoris defunctæ proponit, Prudentia tua cognoſcat; quod ſi etiam parentela eſſet publica, & notoria, abſque Judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit: quare ipſum ad eam recipiendam, quæ petit reſtitutionem ipſius, diſtricte compellas: quam ſi recipere noluerit, eum & ſuperinductam vinculo Excommunicationis adſtringas.*

Idem confirmat *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 35. q. 1. art. 1. *Vir* inquit, *poteſt dimittere uxorem dupliciter: Uno modo quantum ad thorum tantum; & ſic poteſt eam dimittere, quam cito ſibi conſtat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi per Eccleſiam compellatur, & taliter reddens nullum ſibi præjudicium facit; alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem: & hoc modo non poteſt dimitti niſi Judicio Eccleſiæ, alias ſi dimiſſa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, niſi poſſit ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimiſſio divortium dicitur: & ideo concedendum eſt, quod divortium non poteſt celebrari niſi Judicio Eccleſiæ.*

R E G U L A XII.

Mulieres adulteræ, quas Mariti ad meliorem frugem converſas recipere noluerint, in Monaſteriis ad perpetuam Pœnitentiam agendam ſunt collocandæ.

Hanc Regulam can. *De Benedicto*, Cauſſa 32. q. 2. traditam *Greg. XI.* cap. *Gaudemus*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, confirmat. *Mulieres vero* (inquit) *quæ relicto maritali thoro, lapſu carnis ceciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitæ converſas noluerint recipere propter Deum: in clauſtris cum Religioſis Mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam Pœnitentiam ibi agant.*

R E G U L A XIII.

Par jus eſt viri, & uxoris in cauſſa Divortii, adeo ut uxor non minus dimittere poſſit virum adulterum, quam vir uxorem.

Hæc Regula nititur can. *Præcepit*, cauſſa 32. q. 5. qui (De Divortio.) ex *S. Hieronymi* Epiſtola ad *Oceanum* de morte *Fabiolæ* ſumptus eſt. *Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta cauſſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus .... Apud nos, quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.*

Et Can. *Si quis uxorem*, eadem Cauſſa, & quæſt. *Si quis uxorem ſuam invenerit adulteram, & poſtea deinceps placuerit habere eam in Matrimonio, duobus annis pœniteat, ideo quia cum adultera commiſtus ſit, quæ adhuc crimine ſuo non eſt purgata .... Similiter ſi virum ſuum uxor invenerit adulterum, non ad imparia judicentur.*

Et Can. *Chriſtiana*, qui ex Epiſtola *Innoc. I.* ad *Exuperium* excerptus eſt. *Chriſtiana* inquit, *Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam: Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt.*

Idem docet *S. Aug.* Serm. 392. alias 49. ex Homiliis quinquaginta. *Nec eam fœminam* (inquit) *quæ per repudium diſceſſit a marito, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis cauſa licet uxorem adulteram dimittere: ſed illa vivente non licet alteram ducere. Et vobis, fœminæ, nec illos viros, a quibus per repudium diſceſſerunt uxores eorum, maritos habere conceditur, non licet? adulteria ſunt, non conjugia. Contemnitur Auguſtinus, timeatur vel Chriſtus. Commendo vos cuſtodiendos etiam uxoribus veſtris. Filiæ meæ ſunt, ſicut & vos filii mei eſtis. Audiant me: zelent viros ſuos, non ſibi ſervent vanam gloriam, qua ſolent a maritis impudicis Matronæ laudari, quia impudicitia virorum ſuorum æquo animo ferunt. Nolo talem patientiam habeant Chriſtianæ Mulieres: Prorſus zelent viros ſuos, non propter carnem ſuam, ſed propter animas illorum. Omnino ego moneo, ego præcipio, ego jubeo: Epiſcopus jubet, Chriſtus in me jubet ... Nolite viros veſtros permittere fornicari. Interpellate contra illos Eccleſiam. Non dico, Judices publicos, non Proconſulem, non Vicarium, non comitem, non Imperatorem, ſed Chriſtum. In ceteris omnibus ancillæ eſtote virorum veſtrorum, ſubditæ ad obſequium. Nulla ſit in vobis protervitas, nulla ſuperbia, non contumelioſa cervix, non aliqua inobedientia: prorſus tamquam ancillæ ſervite. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Beatus Apoſtolus æquavit, dicens*, Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro: (1. Cor. 7. 3. & 4.) *ſub intulit*, Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir. *Qui te extollis, audi quod ſequitur*: Similiter & vir non habet corporis ſui poteſtatem, ſed mulier. *Ubi ad hoc ventum fuerit, clamate pro re veſtra. Aurum tuum vendit maritus pro neceſſitate ſua: ferto fœmina, ferto ancilla; noli litigare, noli contradicere. Contemptus auri tui, dilectio eſt viri tui. Si villam tuam pro neceſſitate ſua vendat... ferto patienter: & ſi dubitat, tu offer: Contemne omnia propter amorem viri tui. Sed caſtum opta, pro caſtitate litiga. Patienter pereat villa tua, non anima ipſius te patiente pereat. Non dico viris, ut in hac cauſſa zelent uxores ſuas. Scio quia faciunt, novi. Quis ferat uxorem adulteram? Et imperatur fœminæ, ut ferat adulterum virum? O juſtitia! Quare, rogo te? Quare? Quia ego ſum vir? Vir es? In fortitudine tua probemus, quia vir es; Vir es, vince libidinem.* Quæ quidem licet a *S. Aug.* eo animo non dicantur, ut Chriſtianæ Mulieres viros ſuos in adulterium lapſos dimittant, ſed ut eos corrigere ſtudeant, & Eccleſiæ denuntient Pœnitentiæ addicendos: ſupponit tamen ab uxoribus eodem jure poſſe dimitti, quo ipſi uxores adulteras dimittere poſſunt.

(In divortio par jus viri, & uxoris. — De Divortio.)

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 35. q. 1. art. 4. *In cauſſa* (inquit) *divortii vir, & uxor ad paria judicantur; ut idem ſit licitum, & illicitum uni, quod alteri: Non tamen pariter judicantur ad illa; quia cauſſa divortii eſt major in uno, quam in alio; cum tamen in utroque ſit cauſſa ſufficiens ad divortium: Divortium enim eſt pœna adulterii, in quantum eſt contra Matrimonii bona: Quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter ſibi invicem tenentur, tantum peccat contra Matrimonium adulterium unius, ſicut adulterium alterius, & hæc cauſſa in utroque ſufficit ad divortium: Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris, quam viri; & ideo major cauſſa divortii eſt in uxore, quam in viro: & ſic ad æqualia, ſed non ex æquali cauſſa obligantur: nec tamen injuſte, quia in utroque eſt cauſſa ſufficiens ad hanc pœnam.*

R E G U L A XIV.

Uxor a viro dimiſſa propter adulterium, ad eum redire tenetur, ſi revocata fuerit.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 35. q. 1. art. 6. ad tertium. *Illud* (inquit) *quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium: unde cum divortium ſit indictum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem: Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, ſi fuerit revocata; niſi de licentia ejus votum continentiæ emiſerit.* Hinc Regula Juris 61. in Sexto: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.*

R E G U L A XV.

Vir cogi non poteſt ad recipiendam uxorem adulteram, quamvis ipſe adulterium poſt Divortii Sententiam ab Eccleſiaſtico Jure latam commiſerit.

Ita docet S. *Th.* ibidem in Reſponſione ad 4. *Propter adulterium*, inquit, *quod vir prius innocens poſt divortium committit, ſecundum rigorem Juris non debet cogi ad recipiendam uxorem adulteram: Prius tamen, ſecundum æquitatem Juris Judex ex officio ſuo debet eum monere, ut caveat periculo animæ ejus, & ſcandalo aliorum, quamvis uxor non poſſit reconciliationem petere.*

R E G U L A XVI.

Vir occulti adulterii reus divortium ab uxore, cujus publicum adulterium eſt, ſine peccato petere non poteſt: & dimiſſam, Judicis licet Eccleſiaſtici Sententia, recipere tenetur, ac maritali affectu tractare.

Ita docet *S. Th.* loco mox indicato, in Reſp. ad 5. *Si adulterium viri ſit occultum*, inquit, *per hoc non aufertur jus excipiendi contra accuſationem viri uxori adulteræ, quamvis deſit ei probatio: Et ideo peccat vir divortium petens: & ſi poſt Sententiam de Divortio uxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad utrumque.*

De Divortio. Idem docet *S. Antonin.* 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 6. *Si vir* (inquit) *eſt adulteratus occulte, uxor manifeſte, non poteſt vir ſine peccato uxorem dimittere: quia uxori non deficit excipiendi jus, ſed probatio. Si tamen vir egiſſet Pœnitentiam, & uxor nollet agere, ſed perſeveraret in adulterio, poſſet ſine peccato accuſare, & dimittere.*

R E G U L A XVII.

Divortium peti, decerni, ac fieri poteſt ob lapſum alterius conjugum in Hæreſim, vel Apoſtaſiam.

Hæreſis, vel apoſtaſia cauſſa eſt legitima diviſionis. Hæc Regula nititur cap. *De illa*, quod *Urbani III.* & c. *Quanto*, quod *Innoc. III.* Reſponſum eſt, Ext. *De Divortiis*. Et can. *Idololatria* ſupra citato, ſeu verbis *S. Aug.* Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, c. 16. *Idololatria*, inquit, *quam ſequuntur Infideles, & quælibet noxia ſuperſtitio, fornicatio eſt. Dominus autem permiſit cauſſa fornicationis uxorem dimitti.* Et infra: *Si aliquem cogat uxor ſacrificare idolis, qui talem dimittit, cauſſa fornicationis dimittit, non tantum illius, ſed & ſuæ: illius, quia fornicatur; ſuæ, ne fornicetur.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 35. q. 1. art. 1. in Reſponſ. ad 3. *Quia*, inquit, *infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, etiam eſt contra Matrimonii bonum, quod eſt proles educanda ad cultum Dei, etiam ipſa facit divortium: Sed tamen aliter, quam corporalis fornicatio; quia propter unum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur.*

R E G U L A XVIII.

Juſta Divortii cauſſa eſt, ſi conjugum alter alterum inſtigat ad mortale peccatum, nec admonitus deſiſtit.

Juſta enim divortii cauſſa eſt, ſi conjugum unus alterum ad infidelitatis maleficium traxerit, ſeu Fidei illius religionem corrumpere velit: (inquit *Alex. III.* c. *Quæſivit*, Ext. *De Divortiis*.) At Religio non ſolum in Fidei ſinceritate, ſed in morum Fidei reſpondentium integritate poſita eſt: nec omnimode fideles ſunt, qui Deum ſe noſſe oretenus confitentur, factis autem negant. Igitur juſta pariter divortii cauſſa eſt, ſi conjugum alter alterum inſtigat ad mortale peccatum, nec admonitus deſiſtit. (Pervicax inſtigatio ad mortale peccatum, juſta eſt divortii cauſſa.)

Id confirmat *S. Antoninus*, 3. p. tit. 1. c. 21. §. 7. divortium faciendum eſſe aſſerens, *Quando unus conjugum trahit alterum ad crimen: Ita quod licet non cogatur peccare, tamen propter periculum ſuæ fragilitatis, ne conjugalis ſocietas ipſum pertrahat ad peccatum, teneatur ad illud*: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; &c. (Matth. 4.) *Si enim cum periculo corporis non tenetur manere, multo minus cum periculo animæ: & ſicut non tenetur propter periculum infidelitatis cohabitare cum infideli; ita nec propter periculum aliorum criminum, licet ad nullum poſſit cogi. Et licet iſtud ſit gravius quam alia, tamen minimum periculum mortalis peccati præponderat maximo periculo corporis: licet in hoc ſit diſſimile, quo invito aufertur vita corporis, non animæ.*

R E G U L A XIX.

Ob unius conjugum crimina, ex quibus alteri nullum probabiliter imminet animæ, corporiſve periculum, Divortium fieri non poteſt.

Hæc Regula nititur c. *Quæſivit*, mox indicato, cujus hæc ſunt verba: *Reſpondemus, quod mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui, ab eo ſeparari non debet.* Eamque confirmat *S. Antoninus*. (De Divortio.)

R E G U L A XX.

Sævitia conjugis juſta Divortii cauſſa eſt: necnon furor ita vehemens, ut conjux alteri cohabitando vitæ diſcrimen ſubeat.

Hæc Regula nititur c. *Litteras*, Ext. *De Reſtitutione ſpoliatorum*, quod *Innoc. III.* Reſponſum eſt: *Si tanta ſit*, inquit, *viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolum non debet illi reſtitui, ſed ab eo potius amoveri.* (Sævitia conjugis, juſta eſt divortii cauſſa.)

R E G U L A XXI.

Si Divortii Sententiam per errorem latam compertum fuerit, conjux, qui illam obtinuit, reconciliari tenetur conjugi, & affectu conjugali cohabitare.

Ita decernit *Alexander III.* cap. *Lator*, Ext. *De Sententia, & re judicata*, cujus hæc ſunt verba: *Mandamus quatenus ſi vobis conſtiterit, eos per Judicium Eccleſiæ non fuiſſe legitime ſeparatos, Eccleſiamque deceptam, ipſos faciatis ſicut virum, & uxorem in ſimul permanere.*

Idem confirmat *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 35. q. 1. art. 5. in Reſponſione ad 3. ubi de uxore a viro adultero per Judicis Eccleſiaſtici Sententiam ſeparata. *Poteſt*, inquit, *continentiam vovere, viro invito, niſi videatur Eccleſiam deceptam fuiſſe per falſos teſtes ſententiando de divortio; quia in tali caſu, etiamſi Votum Profeſſionis emiſiſſet, reſtitueretur viro, & teneretur debitum reddere, ſed non liceret ei exigere.*

C A P U T VII.

De ſecundis nuptiis.

SEcundas Nuptias damnarunt olim Montaniſtæ, & Novatiani Hæretici, quorum error his Apoſtoli verbis 1. ad Cor. 7. refellitur: *Dico autem non nuptis, & viduis. Bonum* (Secundæ Nuptiæ ab Hæreticis damnatæ.)

num eſt illis; ſi ſic permaneat, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Et 1. ad *Tim.* 5. De Viduis junioribus loquens: *Volo ergo*, inquit, *juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia.*

Secundæ Nuptiæ Chriſtianis indulgentur. De Secundis Nuptiis.

Secundas etiam, immo & ulteriores Nuptias Chriſtianis indulgeri teſtantur SS. Patres, *Chryſoſt.* Hom. 19. & 20. in epiſt. S. Pauli ad Epheſios, *Epiphanius* Hæreſibus 48. & 59. *Theodoretus* Lib. 5. *Hæreticarum Fabularum*, c. 26. *Hier.* epiſt. ad *Geruchiam*, & in Apologia ad *Pammachium* pro Libris adverſus Jovinianum, *Ambroſius* Lib. de Viduis, *Aug.* Lib. *De Bono Viduitatis*, c. 11. & 12. aliique Patres iſtos ſecuti. Et Sacra Synodus Nicæna, Oecumenica prima inter *Catholica, & Apoſtolica Eccleſiæ Dogmata*, quæ ſcriptis profiteri debent Cathari, ſive Novatiani ad Eccleſiam redeuntes, can. 8. in primo loco numerat, *Bigamis communicare*.

Pœnitentiæ publicæ olim ſubjecti, qui ad ſecundas Nuptias convolabant. Qua de cauſſa?

Quamquam omnes, qui ad ſecundas & ulteriores Nuptias convolabant, quædam olim Eccleſiæ Pœnitentiæ publicæ addixerint, ut conſtat ex Conc. Neocæſarienſi, can. 3. ex Laodiceno can. 1. & ex *S. Baſilio* epiſt. ad *Amphilochium* can. 4. Quæ diſciplina non ideo inſtituta, & uſurpata fuit, quod ſecundæ & ulteriores Nuptiæ malæ cenſerentur, ſed ut frænum injiceretur incontinentiæ, quæ ad ſecundas, & ulteriores Nuptias ut plurimum impellit. Hinc ſecundum Matrimonium non eſſe bonum Patres quidam dixere, *Non quia ſit illicitum, ſed quia caret illo honore ſignificationis, qui eſt in primis Nuptiis, ut ſit una unius, ſicut eſt in Chriſto, & Eccleſia*; ſpectaruntque *cauſſam, quæ aliquando ſolet ad ſecundas Nuptias incitare, ſcilicet concupiſcentiam*; (inquit *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 42. q. 3. art. 1. in Reſponſione ad primum, & ſecundum.)

Presbyteris prohibitum ne convivio ſecundarum Nuptiarum intereſſent.

Hanc ob cauſſam Bigamos ab Ordinibus arcet Eccleſia, quia licet ſecundum Matrimonium ſit verum Sacramentum, a primi tamen myſtica ſignificatione deficit, cum non ſit una unius, ſicut eſt in Matrimonio Chriſti, & Eccleſiæ. Et ratione etiam hujus defectus benedictio ſecundis Nuptiis ſubtrahitur. Hinc Neocæſarienſe Conc. ut refertur can. *De his, quæ frequenter*, cauſſa 31. q. 1. prohibuit, ne Presbyteri convivio ſecundarum Nuptiarum interſint. *Homines enim Divinis dediti non ſolum ab illicitis, ſed etiam ab illis, quæ habent aliquam turpitudinis ſpeciem arceantur; & ideo etiam arcentur a ſecundis Nuptiis quæ carent honeſtate, quæ erat in primis*; inquit, *S. Th.* loco mox indicato, in Reſp. ad tertium.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES

REGULA I.

Sacerdos Secundas Nuptias benedicens, ubi præſertim mulier ſecundo nubit, ipſo Jure ab Officio, & beneficio eſt ſuſpenſus.

Pœna Sacerdotis ſecundas Nuptias benedicentis.

ITa decrevit *Alexand. III.* c. *Capellanum*, Ext. *De Secundis Nuptiis*; Benedictionem ſecundis Nuptiis impertiri prohibet etiam *Urbanus III.* cap. *Vir autem, ſub* eodem Titulo: *Cum*, inquit, *alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet*. Idem vetant Synodus Lingonenſis anno 1404. & Pariſienſis anno 1557. Quarumdam tamen Eccleſiarum Ritu ſecundæ Nuptiæ benedicuntur, cum vir ſecundam uxorem virginem ducit, ut notant Gloſ. canonis *Vir autem*, & *S. Carol.* in Inſtructionibus de Sacramento Matrimonii. *Caveat*, inquit, *ne quando conjuges in primis Nuptiis Benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat, ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas Nuptias tranſeat. Si vero ea conſuetudo uſquam eſt, ut ſi mulier nemini umquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, Nuptiæ benedicantur, ea utendum eſt, Sed Viduæ Nuptias non benedicat, etiam ſi ejus vir numquam duxerit.*

REGULA II.

Vidua intra annum luctus ad ſecundas Nuptias convolans nulla notatur infamia.

De ſecundis Nuptiis.

Hanc quidem pœnam Leges Civiles Viduis infra annum luctus nubentibus irrogarunt *Lib. 1. C. de ſecundis Nuptiis*, Nov. 22. c. 40. Sed illi Legum aſperitati Indulgentia Eccleſiaſtica prævaluit ex Apoſtoli mente, ut docet *Urbanus III.* c. *Super illa*, Ext. *De Secundis Nuptiis*, ſcribens: *Cum Apoſtolus dicat*, Mulier viro ſuo mortuo ſoluta eſt a lege viri ſui; in Domino nubat cui voluerit. *Per licentiam, & auctoritatem Apoſtoli ejus infamia aboletur*. Idem confirmat *Innoc. III.* c. *Cum ſecundum*, ſub eodem Titulo: *Non debet*, inquit, *legalis infamiæ ſuſtinere jacturam, quia licet poſt viri obitum intra tempus luctus ſcilicet unius anni ſpatium nubat, conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate: cum in his præſertim ſæculares Leges non dedignentur Sacros Canones imitari.*

Rom. 7.

Nec tantum pœna infamiæ, ſed eadem ratione omnes aliæ pœnæ contra Viduas intra annum luctus nubentes Legibus civilibus decretæ hodie ſublatæ ſunt, & antiquatæ; neque eſt deterior conditio Viduæ intra annum, & poſt annum nubentis.

REGULA III.

Graviter peccant, qui publicis ludibriis, Charivary vulgo nuncupatis, ſecundo nubentibus inſultant.

Hic enim ludus turpis, inſolens, noxius, bonis moribus contrarius, Nuptiis ſecundis detrahit, & Sacramentum, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus honoravit, & honorari præcipit, vertere videtur in deriſum. Quapropter Excommunicatione; & mulctam in illius ludi actores, & complices decreverunt Conc. Andegavenſe anno 1448. Tit. *De Ludis prohibitis*, Synodi Lingonenſes an. 1421. & 1455. & Synodi Trecenſes, necnon Statuta Remenſis Eccleſiæ, apud L. *Bochellum*, Libr. 3. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ*; Tit. 6. *De ſecundis Nuptiis*.

Concilium Provinciale Narbonenſe anno 1609. cap. 22. *Prohibeant*, inquit, *Epiſcopi ludos, qui impudenter in contemptum ſecundarum Nuptiarum a permultis fieri ſolent Carivarios vulgo appellatos: contumaces, & inobedientes pœna Excommunicationis coerceant.*

CAPUT VIII.

De comparatione Matrimonii cum Virginum, & continentium Statu.

Hæretici ſunt, qui ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, aut cœlibatus propugnant.

Statum virginitatis, & cœlibatus non eſſe anteponendum ſtatui Matrimonii, nec majoris eſſe apud Deum meriti Virgines, aut Viduas, quæ continentiam perpetuam Deo voviſſent, quam conjugatas, Hæreſis eſt olim a *Joviniano* propugnata, a *S. Hieron.* Libris duobus, a *S. Ambroſio* Ep. 42. & *S. Auguſtino* Lib. *De S. Virginitate* confutata a *Siricio* Romano Pontifice, univerſaque Eccleſia damnata, ut ex illius Epiſtol. ad Mediolanenſem Eccleſiam, & ex *S. Ambroſio* Synodique Mediolanenſis gratulatoria ad eumdem Pontificem Ep. compertum eſt. *Joviniani* errorem a *Bucero*, *Brentio*, *Calvino*, aliiſque peſtibus ſuſcitatum, Sacra Synodus Tridentina confixit ſeſſ. 24. *de Matrimonio*, can. 10. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, Statum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui Virginitatis, vel Cœlibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in Virginitate, aut Cœlibatu, quam in Matrimonio, Anathema ſit.* Statutum ſcilicet Virginitatis Viduarum conjugumque ſtatui diſertis verbis anteponit Apoſt. 1. ad *Corinth.* cap. 7. *Qui jungit Matrimonio virginem ſuam*, inquit, *bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Et rurſus: *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt: Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu: Quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt Mundi; quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*. Et paullo poſt de Vidua loquens, ait: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium: puto autem, quod & ego Sp. Dei habeam*. Hanc doctrinam Apoſtolis, & per eos Eccleſiæ Chriſtus tradidit, *Matth.* 19. cum ait: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.*

De Myſticis illis Eunuchis loquitur *Iſaias*. cap. 56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit*. Cum dicit, *Dabo eis locum multo meliorem*, oſtendit & conjugatis dari, ſed multo inferiorem; (inquit *S. Aug.* Lib. *de S. Virginitate*, cap. 24.) Nomen æternum ſe eis daturum promittit. „ Æternum hoc nomen, quicquid illud eſt, gloriam quamdam propriam, excellentemque ſignificat, quæ non erit communis cum multis, quamvis in eodem Regno, & in eadem Domo conſtitutis. „ Nam ideo fortaſſis, & nomen dictum eſt, quod eos, quibus datur, diſtinguit a ceteris. Virgines, & cœlibes, mares ac fœminæ, Dominum cogitant uberius, ſperant felicius, illi ſerviunt inſtantius, amant ardentius, illi placent attentius: afferent ad Nuptias Agni Canticum novum, quod cantabunt in citharis ſuis, quod nemo præter ipſos cantare poterit. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit, in ſaltus, & prata, ubi gramina ſunt gaudia, non gaudia hujus ſæculi vana, inſaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipſo Regno Dei ceteris non virginibus erunt, ſed a ceterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. *Gaudia Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria Virginum Chriſti, non ſunt eadem non Virginum, quamvis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia*. „ Chriſtum in eo quiſque ſequitur, in quo imitatur: non in quantum ille Filius Dei eſt unus, per quem facta ſunt omnia; ſed in quantum filius hominis, quæ oportebat, in ſe præbuit imitanda; & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis non omnibus; non enim habent, quid faciant, ut virgines ſint. Sequantur itaque Agnum ceteri Fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt, non quocumque ille ierit, ſed quouſque ipſi potuerint. Poſſunt autem ubique præter cum in decore virginitatis incedit.

Virgines Chriſti.

Viduis

Viduitas bonum conjugio præſtantius.

Viduitatis bonum quod ſpectat, illud conjugio eſſe præſtantius probat idem S. Doctor Lib. *De Bono Viduitatis*, ex quo hæc excerpta eſt Sententia: *Et bonum eſt pudicitia conjugalis, ſed melius bonum eſt continentia Vidualis. Hoc ergo melius illius boni ſubmiſſione honoratur: non illud bonum melioris hujus laude damnatur*. Idipſum probat *S. Ambroſius* Lib. *de Viduis*.

His adde præclarum S. Epiphanii teſtimonium in Expoſitione Catholicæ Fidei adverſus Hæreſes, c. 21. *Fudamentum*, inquit, *ac velut crepido quædam in Eccleſia Virginitas eſt, quæ a pleriſque colitur, & obſervatur, & in illuſtri quadam gloria ac prædicatione verſatur. Virginitatem Solitaria Vita proxime ſequitur: quam in pleriſque ſexus utriuſque Monachis videmus, Secundum hanc Continentia ad idem pietatis curriculum fundata eſt; ac ſtabilita. Deinde Viduitas cum diligenti, attentaque cautione, & caſta, ſinceraque vitæ ratione conjuncta. Poſt gradus illos, & ordines ſuum quoque locum obtinent honeſtæ Nuptiæ, quæ magno in honore ſunt; præſertim ſingulares, & minime repetitæ, quæ præceptorum obſervationi ſtudent.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Viduis ſuadendum eſt, ut in Statu Viduitatis maneat; A ſecundis tamen Nuptiis non ſunt prohibendæ.

Vidualis caſtitas ſuadenda, non imponenda.

VIdualis enim caſtitas, ſicut & virginalis, ſtatus conſilii eſt, non præcepti, ut poſt Apoſtolum docet *S. Ambr.* L. *de Viduis*, cap. 11. Dicimus, inquit, nec ſumptibus agere Viduas, quæ donare conſueverint, ut Evangelicæ Viduæ probat exemplum, quæ in gazophylacium plus omnibus miſit: nec ſubſidio, a quibus ſæpe in periculis maximis defenſæ copiæ ſunt virorum, ut *Judith & Debbora* egregia facinora demonſtrant: maritalia iis quoque officia, vel a generis, vel a proximis facile ſolere reparari, ut ex Hiſtoria *Ruth* compertum eſt, ubi *Noemi* Vidua apud piam Nurum, & ſolatium mœroris, & ſubſidium paupertatis invenit: & exemplo Socrus Simonis, cui *Petrus* ipſe, & *Andreas* impetrarunt a Domino ſanitatem. Promptior ergo in Viduas divina miſericordia; & ideo cum ſuppetere non videatur cauſſa nubendi, ſtudium abeſſe debet. *Quod tamen* inquit S. Ambroſius, *pro conſilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potius Viduam, quam ligantes; neque enim prohibemus ſecundas Nuptias, ſed non ſuademus. Alia eſt enim infirmitatis contemplatio, alia gratia caſtitatis. Licet ergo nubere, ſed pulcrius eſt abſtinere*. Vidualis itaque Caſtitatis Status *non ponitur, ſed præponitur*. Id enim diſcriminis eſt præceptum inter, & conſilium. *Præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis datur. Ubi præceptum eſt, ibi lex eſt; ubi conſilium ibi gratia eſt. Præceptum, ut ad naturam revocet: Conſilium, ut ad gratiam provocet... En tibi diſtantia præcepti, atque conſilii, ſi illum recorderis, cui in Evangelio ante præſcribitur ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falſum teſtimonium dicat: præceptum etenim ibi eſt, ubi eſt pœna peccati: At vero cum ſe præcepta Legis memoraſſet impleſſe, conſilium eidem datur, ut vendat omnia, & ſequatur Dominum: hæc enim non pro præcepto imperantur, ſed pro conſilio deferuntur. Duplex namque forma mandati eſt, una præceptiva, altera voluntaria. Unde & Dominus in alia dicit*, Non occides, *ubi præcipit; in alia*: Si vis perfectus eſſe, vende omnia tua. *Ergo hic liber eſt a præcepto, cui defertur arbitrium*. Præceptum ita Viduis non datur eo in Statu manendi; conſilium datur. Diſcrimen iſtud præcepti atque conſilii *S. Aug.* confirmat Lib. *de Sancta Virginitate*, cap. 30. *Tollite*, inquit, *hoſtias quiſque ſuas, & introite in atria Domini, non ex neceſſitate, poteſtatem habentes veſtræ voluntatis. Neque enim ſicut*, Non mœchaberis, Non occides, *ita dici poteſt*, Non nubes. *Illa exiguntur, iſta offeruntur, Si fiunt iſta, laudantur, niſi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem ſi quid amplius erogaveritis, reddet vobis*. Merito itaque *S. Ambroſius* Lib. *de Viduis*, cap. 11. rurſus ſcribit: *Menſura oneris pro menſura debet eſſe geſtantis, alioquin impoſiti oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas eſt; nam & infantium fauces ſtrangulat eſca robuſtior. Et ideo ſicut multitudo vectorum non paucorum viribus æſtimatur; nec tamen fortioribus de aliorum infirmitate præſcribitur, ſed unicuique quantum oneris ſubire cupiat, relaxatur manente mercedis cumulo in virtutis augmento: ita etiam fœminis non laqueus injiciendus, non ſupra vires abſtinentiæ gravioris vectura ſubeunda eſt: ſed relinquendum, ut unaquæque ſe pendat, non auctoritate aliqua coacta præcepti, ſed incrementi gratia provocata.*

Diſcrimen inter præceptum, & conſilium.

Deut. 4. 5. 17. Matt. 5. 21. Matth. 19. 21.

Plurimæ ſunt autem rationes, quibus a ſecundis Nuptiis deterreri poſſint Viduæ, præſertim illæ, quæ filias habent jam pene nubiles, aut filios ex priori marito ſuſceptos. Primo indecentia: Unde *S. Ambroſ.* Lib. *de Viduis*, cap. 10. *Cur*, inquit, *maternæ parantur Nuptiæ inter Nuptias filiorum, & plerumque poſt Nuptias? Cur adulta filia diſcit prius ſponſum matris, quam ſuum erubeſcere: Quid ſibi vult nova nupta poſt generos? Quam indecorum eſt juniores habere liberos, quam nepotes?*

Rationes quibus Viduæ a ſecundis Nuptiis deterreri poſſunt.

Secundo, liberorum amor: unde idem *Ambroſius*, cap. 15. *Cur heredes quæris extraneos, cum habeas tuos? Non filios deſideras, quos habes: ſed ſervitutem, quam non habes... Moleſta pietas. ut amare liberos metuas, adſpicere liberos erubeſcas; atque inde oriatur cauſſa diſcordiæ; unde ſolet mutuus amor mulcere effectus parentum. Generare liberos vis non fratres futuros tuorum, ſed adverſarios filiorum. Quid eſt ergo generare alios liberos, niſi ſpoliare quos habes liberos: quibus pariter auferuntur, & pietatis officia, & compendia facultatum?*

Eamdem rationem urget *S. Hieron.* Epiſt. 10. ad *Furiam*. de Viduitate ſervanda. *Solent*, inquit, *adoleſcentulæ Viduæ, quarum nullæ abierunt retro poſt Satanam, cum luxuriatæ fuerunt in Chriſto nubentes dicere: Patrimoniolum meum quotidie perit: majorum hæreditas diſſipatur: Servus contumelioſe locutus eſt, imperium ancillæ neglexit. Quis procedet ad publicum. Quis reſpondebit pro agrorum tributis, parvulos meos quis erudiet, & vernulas quis educabit? Et hanc proh nefas! cauſſam opponunt Matrimonii, quæ vel ſola debuit Nuptias impedire. Superducit mater filiis non nutritium, ſed hoſtem: non parentem, ſed tyrannum. Inflammata libidine, obliviſcitur uteri ſui: & inter parvulos ſuas miſerias neſcientes, lugens dudum nova nupta componitur. Quod obtendis Matrimonium? Quid ſuperbiam ſervulorum? Confitere turpitudinem. Nulla idcirco maritum ducit, ut cum marito non dormiat. Aut ſi certe libido non ſtimulat, quæ tanta inſania eſt, in morem ſcortorum proſtituere caſtitatem, ut augeantur divitiæ; & propter rem vilem, atque perituram, pudicitia, quæ pretioſa, & æterna eſt, polluatur? Si habes liberos, Nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis ſterilitatem? Rem incertam certo præfers pudori: Scribuntur tibi nunc ſponſales tabulæ, ut poſt paullulum teſtamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas, & quod te morituram facere volet, ipſe victurus faciet: aut ſi venerit, ut ex ſecundo marito habeas filios, domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aſpicere oculis, quos genuiſti. Clam porriges cibos, invidebit mortuo, & niſi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod ſi de priore uxore ſobolem habens domum te introduxerit; etiamſi clementiſſima fueris omnes Comœdi, Mimographi, & omnes Rhetorum loci in Novercam ſæviſſimam declamabunt. Si privignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis ut malefica. Si non dederis cibos, crudelis: ſi dederis, venefica diceris. Oro te, quid habent tantum boni ſecundæ Nuptiæ, ut hæc mala valeant compenſare?*

Tertio deterrendæ ſunt Viduæ a ſecundis Nuptiis Sanctarum Mulierum exemplo: ſed maxime Vidualis Status excellentia, in quo beatiorem eſſe perſeverantiam, non tantum ſuo conſilio, ſed etiam Dei ſpiritu, Apoſtolus definivit. Legantur *S. Ambroſ.* Lib. *de Viduis*, c. 19. *S. Hieron.* Ep. laudata, & *S. Auguſt.* Lib. *de Viduitatis bono*.

Viduarum Chriſtianarum officia.

REGULA II.

Non ſola Caſtitas corporis, ſed magna, & uberrima Diſciplina virtutis Viduam Chriſtianam commendare debet.

Hanc Regulam tradit S. Paulus 1. ad *Tim.* c. 5. *Si qua Vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo. Quæ autem vere vidua eſt, ac deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint..... Vidua eligatur... Quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.* Vides (inquit *S. Ambroſ.* Lib. *De Viduis* cap. 2.) quam multas virtutum comprehenderit diſciplinas. Primum pietatis officium: ſecundum hoſpitalitatis ſtudium, & humilitatis obſequium: tertium miſericordiæ miniſterium liberalitatiſque ſubſidium: ad ſummam omnis executionem boni operis flagitavit.

Luc. 2. 36.

Viduarum exemplar *Anna Propheteſſa*, quæ *vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor; Quæ non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte, ac die*. Vides qualis Vidua prædicetur, *cui diverſorium in Templo, colloquium in prece, vita in jejunio*; (inquit *S. Ambroſ.* c. 4.) Orandi ſtudium diligentius Viduis in Scriptura Sacra commendatum. *Hinc Dominus cum ſemper ad orandum, & non deficiendum nos hortaretur, Viduam commemoravit, quæ licet iniquum, & impium Judicem, ac Dei, & hominum contemptorem ad audiendam cauſſam ſuam aſſidue interpellando convertit. Quam ergo præ ceteris Viduæ debent vacare orationibus, ſatis hinc intelligi poteſt, quod omnibus ad ſuſcipiendum orandi ſtudium de Viduis propoſitum eſt exhortationis exemplum*, (ut obſervat *S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. *ad Probum*.)

Viduarum Chriſtianarum officia.

Orationes.

Lucæ 18.

Orationi comes adjungi debet temperantia, jejuniumque. Temperantia virtus eſt fœminarum. *Eſto igitur Vidua temperans: Caſta primum a vino, ut caſta poſſis eſſe ab adulterio:*

Temperantia, & jejunia.

rio; (inquit *S. Ambroſ.* c. 7. Lib. *de Viduis*. Hinc S. Hieronymus, *Furiam* nobilem Viduam inſtituens: *Quicquid facit ſeminarium voluptatum*, inquit, *venenum puta. Parcus cibus, & venter ſemper eſuriens triduanis jejuniis præfertur. Et multo melius eſt quotidie parum quam raro ſatis ſumere. Quando comedis, cogita, quod ſtatim tibi orandum, illico & legendum ſit. De Scripturis Sanctis habeto fixum verſuum numerum; iſtum penſum Domino tuo redde.* Et *S. Auguſt.* Epiſt. mox indicata: *Pertinet ad vidualem curam, deliciæ ſi affluant, ne apponas cor, in eis putreſcendo moriatur, quod ſurſum debet eſſe, ut vivat... Debes præ amore veræ vitæ, etiam deſolatam te putare in hoc ſæculo, in quantalibet ejus felicitate verſeris.* Et rurſus: *Deliciæ ſpiritales deliciis carnalibus in S. Caſtitate ſuccedant, lectio, oratio, Pſalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, ſpes futuri ſæculi, & cor ſurſum: Atque in his omnibus gratiarum actio Patri luminum, a quo ſine ulla dubitatione omne datum optimum, & omne donum perfectum, Scriptura teſte, deſcendit. Nam quando pro deliciis nuptarum, quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tanquam in ſolatium uſus aſſumitur, quid ego dicam, quæ ſequantur mala, cum breviter Apoſtolus dixerit, Viventem mortuam eſſe Viduam, quæ in deliciis vivit?*

Eleemoſyna.

Eleemoſynæ Jejunio, & Orationi a Vidua Chriſtiana jungi debet. Hinc *S. Aug.* Lib. *de Bono Viduitatis*, c. 21. *In vobis*, inquit, *amor divitiarum ſimul frigeſcat cum amore Nuptiarum; & pius uſus rerum, quas poſſidetis, ad ſpirituales delicias conferatur, ut liberalitas veſtra magis ferveat adjuvandis egenis, quam ditandis avaris. In theſaurum quippe cœleſtem non mittuntur dona cupidorum, ſed eleemoſynæ pauperum, quæ in immenſum modum orationes adjuvant Viduarum.* Viduæ locupletes uberes eleemoſynas erogent: quibus anguſta res eſt, laborent ut ſibi, filiis, pauperibuſque neceſſaria comparent. *Bona & illa plane laborioſa ſtipendia caſtitatis, quæ de ſuo opere, quotidianoque penſo conferet Vidua, nocturnis pariter, ac diurnis jugi exercens labore penſa temporibus, & pudicitiæ quæſtuoſæ pervigili opere mercedem congregans, ut intemeratum defuncti conjugis cubile cuſtodiat, alere dulces liberos poſſit, miniſtrare pauperibus. Hæc eſt præferenda divitibus: Hæc eſt, quæ Chriſti Judicium non timebit;* inquit *S. Ambr.* Lib. *de Viduis*, c. 5.) Dominica voce illa Vidua omnibus antefertur, de qua dictum eſt, *Vidua hæc plus omnibus miſit:* In quo moraliter Dominus inſtituit univerſos, ne quis a collatione miniſterii paupertatis pudore revocetur; nec ſibi divites blandiantur quod plus videantur conferre quam pauperes. *Uberior eſt enim nummus e parvo, quam theſaurus e maximo; quia non quantum detur, ſed quantum reſideat, expenditur. Nemo plus tribuit, quam quæ nihil ſibi reliquit... Denique nulla plus tribuit, quam illa, quæ de filiorum alimentis pavit Prophetam. Et ideo quia nulla plus contulit, nulla plus meruit.*

Luc. 23.
Viduarum Chriſtianarum officia.

REGULA III.

Viduæ Chriſtianæ bonæ famæ curam gerere debent, non liberiori converſatione pravis ſuſpicionibus, & ignominioſis rumoribus occaſionem præbere.

Ita *Furiam* inſtituit *S. Hieronim.* Epiſt. 10. *Juvenum fuge conſortia. Comatulos, comptos, atque laſcivos, domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur ut noxius. Fidicinas, & pſaltrias, & iſtiuſmodi chorum Diaboli, quaſi mortifera Syrenarum carmina, proturba ex ædibus tuis. Noli in publicum ſubinde procedere, & viduarum circumferri libertate. Peſſimæ conſuetudinis eſt, cum fragilis ſexus & imbecilla ætas ſuo arbitrio abutitur, & putat licere quodlibet. Omnia quidem licent, ſed non omnia expediunt.... Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur. Sanctarum virginum, & viduarum ſocietatem appete. Et, ſi ſermocinandi cum viris incumberit neceſſitas, arbitros ne divites, tantaque confabulandi fiducia ſit, ut intrante alio, nec paveas, nec erubeſcas.* Et Epiſtola ad *Salvinam*, De ſervanda Viduitate. *Tenera res*, inquit, *in fœminis fama pudicitiæ eſt, quaſi flos pulcherrimus, cito ad levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur, maxime ubi & ætas conſentit ad vitam, & maritalis deeſt auctoritas, cujus umbra tutamen uxoris eſt. Quid facit Vidua inter familiæ multitudinem, inter miniſtrorum greges? Quos nolo contemnat ut famulos, ſed ut viros erubeſcat, &c. Habeto tecum Viduarum, & Virginum choros, habeto tui ſexus ſolatia.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Auguſtinus*, Lib. *de Bono Viduitatis*, cap. 22. *In omnibus ſane ſpiritualibus deliciis*, inquit, *quibus fruuntur innuptæ, ſancta earum converſatio tanta etiam debet eſſe, ne forte cum mala vita non ſit per laſciviam, mala ſit fama per negligentiam. Nec audiendi ſunt, ſive viri ſacti, ſive fœminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam viam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non impudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis, quæ caſta eſt diſplicet vita ſanctorum, ſive etiam cum excuſationem imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam, quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem. Unde non fruſtra Apoſtolus*, Providemus, *inquit*, bono, non ſolum coram Deo, verum etiam coram hominibus. *Item dicit.* Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. *In quadam etiam exhortatione dicit*, De cetero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque ſancta, quæcumque juſta, quæcumque, caſta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. *Cernis quemadmodum inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere*, Quæcumque bonæ famæ; *duobuſque verbis cuncta concluſerit, ubi ait*, Si qua virtus, ſi qua laus? *Ad virtutem namque pertinent, quæ antea memoravit bona: Fama vero ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus... Sed illorum duorum, ideſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis, & laudis, unum propter ſe ipſum ſapientiſſime retinebat, alterum propter alios miſericordiſſime providebat.*

2. Cor. 1.
1. Cor. 10.
Philip. 4.

FINIS LIBRI SECUDI.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, ET MORALIS SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI Concilii Tridentini.

LIBER TERTIUS.

DE PECCATIS, ET VIRTUTIBUS.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PECCATIS.

DELICTA *quis intelligit?* (inquit Propheta) Difficilis ſane Peccatorum tractatio, & explicatio; & tamen Eccleſiaſticis Viris maxime neceſſaria, cum Sacramentorum, quorum Miniſtri ſunt, ac diſpenſatores, quædam ad remiſſionem peccatorum per ſe ſint inſtituta, ſcilicet Baptiſmus, Pœnitentia, Extrema Unctio; & Legi Dei cujus ſunt Interpretes, æternæque hominum ſaluti, cujus adjutores ſunt, ac procuratores, hæc Monſtra capitaliter adverſentur. Cum vero Sacerdotibus omnibus neceſſaria ſit accurata Peccatorum cognitio; tum maxime Rectoribus Animarum, & conſcientiarum Moderatoribus, qui in Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ frequentes ſunt; quod Miniſterium exercere, ut par eſt, nequeunt, niſi crimina noverint quorum Judices in Sacro Tribunali ſedent, Chriſti nomine, ac auctoritate, niſi morborum naturam, & qualitates perſpectas habeant, quos ex divinæ Medicinæ Regulis, Chriſtique præſcripto curare debent. In iis præſertim explicandis Theologia Moralis verſatur, cujus inſtitutum ſequemur, ſepoſitis Scholaſticis Quæſtionibus. Nonnulla tamen, quæ Dogma ſpectant, & quæ Sacerdotibus ignorare non licet, de originali peccato, de peccati cauſſa, effectibus, pœnis, de venialis a mortali peccato diſcrimine, breviter delibabimus, ſine quibus peccati definitio, & diviſio plene intelligi non poſſit.

CAPUT PRIMUM.

De Peccati Definitione, & diviſione.

ARTICULUS PRIMUS.

Peccati diviſio in originale, & actuale; & originalis definitio, ac propagatio explicatur.

Quid peccatum, & quotuplex?

PEccatum eſt Dei offenſa, ſive injuria Deo irrogata. Aliud eſt originale, aliud actuale. Originale dicimus, quod per originem contrahitur; actuale, quod actu proprio, ac propria voluntate committitur. Hæc notio nominum, ſed res ipſa diligentius, & accuratius explicanda eſt.

Definitio peccati originalis.

Peccatum originale eſt privatio juſtitiæ originalis, per communem originem, ſeu propagationem in omnes homines, ab uno homine, ſcilicet Adamo totius humani generis capite, ac primo parente derivata.

Dicitur *Privatio*, quod ipſi cum actuali peccato commune eſt; peccatum enim naturam, eſſentiam ſubſiſtentem non eſſe, ſed boni privationem, conſtans eſt Patrum doctrina *SS. Dionyſii* Lib. *de Divinis Nominibus*, c. 4. *Athanaſii Oratione* contra Gentes, *Baſilii* Hom. 9. *Gregorii Nazianz.* Orat. 40. *Ambroſii* Lib. *de Fuga Sæculi*, c. 4. *Auguſtini* Lib. 7. *Confeſſionum*, c. 12. ubi ait; *Quæcumque ſunt, bona ſunt: Malumque illud, quod quærebam unde eſſet, non eſt ſubſtantia, quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet.* Et c. 16. *Quæſivi quid eſſet iniquitas, & non inveni ſubſtantiam, ſed a ſumma ſubſtantia Te Deo detortæ in infimam voluntatis perverſitatem.* Ac paſſim contra Manichæos docet, nullam eſſe mali naturam. Iſtud Catholicæ Fidei dogma eſſe *S. Leo* tradit Epiſtola alias 93. nunc 15. ad *Turribium* Aſturicenſem Epiſcopum, cap. 6. *Fides vera quæ eſt Catholica*, inquit, *omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confitetur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: Quia Deus, qui univerſitatis eſt conditor, nihil non bonum facit.* In hoc igitur peccatum originale cum omni genere peccatorum convenit, quod ſit privatio.

Dicitur *Privatio juſtitiæ originalis*, quo veluti charactere differt a ceteris peccatis. Erat autem juſtitia originalis eximium quoddam donum, quod gratiam, virtuteſque complectebatur omnes: & quod primo homini ſtatim in ipſa origine a Deo infuſum, mentem ejus Deo, vires inferiores animæ rationi, corpus animæ ſubjiciebat, ita ut anima nullis perturbationibus repugnantibus Deo obediret, nullaque in membris adverſus legem mentis concupiſcentiæ lex inſurgeret. Donum illud, velut effectus cauſſam, ſequebatur impaſſibilitas corporis, & immortalitas. Donum illud ſupernaturale, quo primus homo in ſemetipſo rectus dicebatur, ob præclarum facultatum ejus ordinem inter ſe, & ad Deum, non ſibi uni, ſed univerſo hominum generi Adamus acceperat, ita decernente Deo, qui in eo velut hominum ceterorum ab ipſo propagandorum primo parente, & capite, poſterorum omnium voluntate conſtituit: adeo ut ſi in gratia perſeveraſſet, juſtitiam eamdem, ejuſque appendices, largiente Deo, omnes homines cum anima ipſa in prima ſui origine accepiſſent. Verum in peccatum prolapſus, præclaro illo dono, cœleſtique indumento a latronibus, Angelis ſcilicet noctis, ac tenebrarum expoliatus, plagiſque graviſſimis, ignorantia ſcilicet veri, difficultate boni operandi, ex voluntatis infirmitate, & perduelli adverſus legem mentis concupiſcentia conſurgente, ac inſuper moriendi neceſſitate, affectus, ac vulneratus, in via, ſemivivus relictus eſt: Juſtitiam porro originalem non ſibi ſolum, ſed poſteris omnibus amiſit, profligavit. *In illo* enim omnes *peccaverunt*, quia *omnes ille unus fuerunt*, ut loquitur *S. Auguſt.* In Adamo quippe, ut omnium hominum primo parente, & capite natura illa inſita erat, in qua eos gignere poterat, quamvis nondum agerent vitas proprias.

Lucæ 10.

Lib. 2. De Peccatorum meritis, c. 10. Lib. 3. c. 7. Lib. 2. De Nuptiis, & Concup. c. 5. & alibi.

Quam dicimus juſtitiæ originalis privationem, *S. Auguſt.* ſæpe vocat *Concupiſcentiæ reatum*: Non enim concupiſcentia ipſa originale peccatum eſt, quia manet in baptizatis ad agonem, cum tamen nihil ſit damnationis iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, ſed reatus concupiſcentiæ. Concupiſcentiæ enim *Manet actus, tranſit reatus*: cum per Baptiſmum reatus ille, ſeu labes originalis, quæ nos reos efficit, Deique inimicos, dimittatur, ac deleatur.

II. Privationem illam juſtitiæ originalis, peccatum illud originale, per communem originem, ſeu propagationem in omnes homines ab uno homine, ſcilicet Adamo, derivari, & transfundi, dogma Fidei eſt, a Summis Pontificibus *Innocent. I.* & *Zoſimo*, a Synodis Dioſpolitana, Africanis, Arauſicana II. & Tridentina definitum, ſeſſ. 5. canone 2. & 4. quorum hæc ſunt verba.

Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam a Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non etiam nobis perdidiſſe aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pænas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, Anathema ſit: Cum contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

Rom 5.

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod Regenerationis lavacro neceſſe ſit expiare ad vitam æternam conſequendam... Anathema ſit.

Peccatum originale in omnes transfundi, dogma fidei eſt.

III. Non *Imitatione* porro, ſed *propagatione* in omnes homines transfundi labem illam originalis peccati, dogma pariter Fidei eſt. Et certe Apoſtolus cap. 5. Epiſt. ad *Romanos*, mox indicato antitheſim inſtituens inter Chriſtum, & Adamum, ſic per primum hominem invectum peccatum aſſerit, ſicut per Chriſtum collata juſtitia eſt. *Igitur*, inquit, *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; Ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Juſtitiam autem a Chriſto imitatione ſola acceptam non eſſe, manifeſtum eſt: cum & Veteres Sancti, qui Chriſtum præceſſerunt, ideoque non potuerunt eum imitari, juſtitiam tamen ſuam ipſi acceptam referant: & parvuli, qui Chriſtum cognoſcere, adeoque imitari non poſſunt, per ipſum tamen juſtificentur. Itaque nec per primum Hominem peccatum in ceteros aditum habuit

ratio-